

Sextus

ad creaturam. ut quis temporaliter incipiat dici. non tamen ipsi substantie dei accidisse aliquid intelligatur. sed illi creature ad quam dicitur. dicitur inquit refugium factus es nobis. Refugium ergo nostrum deus relative dicitur. ad nos enim refertur. et tunc refugium nostrum fit. cum ad eum refugimus. Nunquid tunc fit aliquid in eius natura. quod antequam ad eum refugeremus non erat. in nobis ergo fit aliqua mutatio. Deteriores enim fuimus antequam ad eum refugeremus. et efficiamur ad eum refugiendo meliores. In illo autem nulla. Sic et pater noster esse incipit. cum per eius gratiam regeneramur. quam dedit nobis potestatem filios dei fieri. Substantia itaque nostra mutatur in melius cum filii eius efficiamur. simul et ille pater noster esse incipit. sed nulla mutatione sue substantie. Ergo temporaliter dici incipit deus. quod antea non dicebatur. manifestum est relative dici. non tamen secundum accidens dei. quod ei aliquid acciderit. sed plane secundum accidens eius. ad quod dici aliquid deus incipit relative. Et quod amicus dei iustus esse incipit. ipse mutatur. Deus autem absit ut temporaliter aliquem diligat quasi noua dilectione quam in illo anno non erat apud quem nec preterita transierunt. et futura iam facta est. Itaque omnes sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit. sicut predestinauit. Sed cum conuertuntur et inueniunt illum tunc incipere ab eo diligere dicuntur. ut eo modo dicatur quo potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiam cum iratus malis dicitur et placidus bonis. illi mutantur. non ipse. Sicut lux infirmis oculis aspera. firmis lenis est. ipsorum scilicet mutatione non sua.

Incipiunt capitula libri sexti.

De eo quod apostolus ait christum dei virtutem. De patre et filio hoc solum non dicitur illud de illo quod ambo non sunt. Deus enim de deo. bonus de bono. virtus de virtute. quod simul sunt recte dicitur. pater autem

de patre. aut filius de filio quod non ambo simul sunt non potest dici.

De unitate filii cum patre et nostra inuicem nobiscum.

Pares in virtute non posse in ceteris esse dissimiles. ac si hec equalitas in animis repeatur humanis. multo in incorporeis eam manere incommutabili eternaque substantia quod est deus trinitas.

De spiritus sancti unitate cum patre et filio

De natura corporea et creatura spiritali. quod simplices non sunt quod nec incommutabiles.

De simplici et incommutabili essentia diuina quamuis multipliciter secundum substantiam nominetur.

Trinitatem deitatis nullomodo triplicem esse dicendam. quod nec tria ibi plus sunt quam unum nec unum minus quam tria.

De solo vero deo patre et filio et spiritu sancto.

De sententia sancti hilarii qua in trinitate personarum proprietatem intelligit demonstrasse.

Aurelij augustini liber sextus incipit.

Qualitatem patris et filii et spiritus sancti putant nonnulli ex hoc impediri quo minus intelligatur quod scriptum est. christum dei virtutem et dei sapientiam. ut ideo non videatur equalitas. quod non est pater ipse virtus et sapientia. sed genitor virtutis et sapientie. Et reuera non mediocri intentione queri solet quo modo dicatur deus virtutis et sapientie pater. Sic enim apostolus. christum dei virtutem et dei sapientiam. Et huic nonnulli nostri aduersum arrianos hoc modo ratiocinationi sunt. eos dumtaxat qui prius se aduersum catholicam fidem extulerunt. Nam ipse arrius dixisse fertur. Si filius est. natus est. Si natus est. erat tempore quando non erat filius. Non intelligens etiam natum esse. deo sempiternum esse. ut sic